


00
A
341

P. e. 99

T. VII, 895.

~~III 412 9 V 17~~



5
C Exemplum demonstrationis Theologiæ
• secundum:

Quo probatur

Calvinianas, Pho- tinianas, & Pontificias Ecclesias

non habere verum cænæ Dominicæ sacra-
mentum, sed tantum depravatæ rationis
figmentum,

proindeq;

Orthodoxos in illis ad sacram *συνάξει* accedere bonâ
conscientiâ non posse:

*In alma V Vittebergensi Academia ad examinandum
propositum*

PRÆSIDE

JACOBO MARTINI PHILOSO- PHO ET THEOLOGO.

RESPONDENTE.

M. ISAACO FRÖREISEN ARGENTINENSI

Alfato, Facultatis Philosoph. Adjuncto.

Ad d. 2. Maii.

VVITTEBERGÆ,

Ex officina typographica NICOLAI BALLII.

ANNO CHRISTI, M. DC. XIX.

missimo Spectabilissimo viro b. Georgio Blum





*Magnifico, Nobilissimo Amplissimo & Pruden-
tissimo Viro,*

DN. CHILIANO STISSERO

*Reverendissimi & Illustrissimi Principis ac Do-
mini, Dn. CHRISTIANI WILHELMI
Archiepiscopatus Madeburgensis ADMINI-
STRATORIS. & c. Cancellario meri-
tissimo & Consiliario In-
timo.*

**Domino Meccœnati, Fautori &
Promotori suo debitâ Observantâ
& animi demissione Colendo**

*Hoc Exemplum Demonstrationis
Theologica,
dedicat*

*M. Isaacus Fröreisen Ar-
gent. Collegii Philosophi
in alma Wittebergensi Acad
Adjunctus.*



Emonstravimus in *disputatione precedente*, verba institutionis cænæ Dominicæ, uti sonant, necessariò intelligenda esse: proindeque verum corpus & sanguinem Christi, mediante pane & vino comedi & bibi.

Τὸ ζήτημα vel κενόμενον.

2. Quæstio porrò movetur, *an Ecclesia, in quibus verum corpus & sanguis Domini sacramentaliter non commeditur & bibitur, habeant verum sacramentum cænæ.*

Ζητήματα τῆς διαίρεσις.

3. Ecclesiæ, quæ sacramentaliter corpus simul & sanguinem, in sacra cæna non comedunt & bibunt; vel mutilant sacram Cænam, ut pontificii; vel planè tollunt, ut Calviniani & Photiniani.

Ἐξήγησις.

4. Pontificiæ Ecclesiæ mutilant Sacramentum cænæ: cum, licet in ea corpus & sanguinem Christi retinent, calicem tamen Sacrificuli sibi solis propinant; Ecclesiæ verò adimunt.

5. Calviniani; licet retineant panem & vinum; negant tamen caelestes partes, corpus & sanguinem Christi, hisce in terris, una cum pane & corpore adesse: sed duntaxat adesse dignè vescentibus, hoc est, piis & fidelibus, non ore corporis, sed fidei, corpus & sanguinem Domini apprehendentibus.

6. Photiniani omnem manducationem, & sacramentalem & spirituales negant, imò Sacramentum hoc, sacramentum esse pernegant.

Θέσις nostra.

7. Nulla harum Ecclesiarum habet verum Christi sacramentum.

Ἀιτήματα καὶ ὑποθέσεις.

8. Antequam autem ad demonstrationem pergamus, quædam nobis vel *αἰτήματα* vel *ὑποθέσεις* concedantur necesse est. *Prima hypothesis* sit: Sacramentum Cænæ pro causa efficiente, instituyente, & testatore, alium nullum agnoscit, quam unicum Christum Servatorem nostram.

9. *Alterâ*: Quod Sacramenta sint nõ ministrorū, sed totiꝝ Ecclesiæ.

10. *Tertiâ*: Quod fides ministri, nihil in iis mutare queat.

11. *Quarta*: Quod neque minister, neque Ecclesia, in partibus, si-
ve formalibus, siue materialibus, hisque siue terrestribus siue caelestibus, aliquid mutare debeat.

12. *Quinta*. Quod verba institutionis pertineant ad essentiam sacramenti,



11. *Sexta*: Quod verbum sine formali suo, hoc est, vera & genuina significatione, non sit verbum.

12. *Septima*: Quod verbi mutata significatio, mutet & tollat ipsū verbum, ut non maneat id, quod antea erat.

Probationes hypothesisum.

13. *Prima* est manifesta ex historia institutionis *Math. 26. v. 26. & seqq. Marci. 14. v. 22. Luc. 22. v. 19. Et Apostolus Paulus, non suā, sed Domini auctoritatem allegat, 1. Cor. 11. v. 23. Accepi inquit, à Domino, quod tradidi vobis.*

14. *Alteram* sic confirmamus:

Ad quem pertinet finis & fructus sacrae cœnae, illius bonum rectè dicitur esse sacra cœna.

Atqui ad Ecclesiam pertinet finis & fructus sacrae cœnae: Ergo Ecclesia bonum est sacra cœna.

15. Major est certa, Minor probatur explicacione fructus sive finis, qui cum primis triplex est.

16. *Primus fructus* (nempe per se) fidei corroboratio: Hanc verò participantis esse, non administrantis, nemo dubitat.

17. *Secundus fructus* est unio fidelium cum Christo spiritualis & arctior: & hanc esse comedentium & bibentium, atq; sic Ecclesiae, extra controversiam est.

18. *Tertius* est arctior conjunctio, cum corpore Christi, inter nos ipsos, proindeque incrementum dilectionis proximi. Atque hoc est, quod Apostolus inquit, *1. Cor. 10. v. 17. Vnus panis, unum corpus, multi sumus: Nam omnes ex eodem pane partem ipsamus, Et Rom. 12. v. 5. Multi unum corpus sumus in Christo, sigillatim autem alii aliorum membra.* Confer *Cap. 4. ad Ephes.*

19. *Tertia* quoque certa est. Nam Minister non est causa principalis: quæ in Sacramentis operatur, sed Christus & Spiritus sanctus. Ideo, ut ut etiam sese habeat fides & opinio de sacra cœna ministri, nihil illa mutabit. Ut enim rectè audiebantur Pharisei, sedentes in cathedra Moysi: Sic etiam rectè audimus ministros, sedentes in cathedra Christi.

20. *Partes* autem ministri sunt, quæ fuerunt Domini in actione externa, nimirum *accipere panem, benedicere frangere, dare accedenti & dicere accipe, comede, hoc est corpus Christi, quod pro te traditum est: similiter accipere poculum vini, & actis gratis, dare communicanti & dicere bibe, hic est sanguis novi testamenti, qui pro te effusus est, in Remissionem peccatorum.*

21. Hæc quando præstitit & peregit minister, suo satisfecit officio: ipsum

cio: ipsum autem tacite credere verbo vel non credere id ad te nihil. Ut enim totum ministerium Ecclesiasticum non pendet à dignitate personæ, sic neq; hæc administratio, quæ illius ministerii pars est.

22. *Quarta* probatur per primam. Ex qua intelligitur, quod tota essentia & autoritas sacramenti hujus à solo Christo pendeat.

23. Sic *Quintam* qui negat, solé in meridie negat. Partes n. ἁγιώδεις, essentiam sacramenti perficientes sunt, in genere *Res & verbum*.

24. *Res* est duplex: *Terrena & celestis*.

25. *Res terrena* est Elementum αἰσθητῶν divinitus sancitum. Tale est in hoc sacramento cænæ, panis & vinum: ut in Circumcisione, amputatio præputii: in Agno paschali, esus agni: in Baptismo, *Aqua*.

26. *Res celestis* sive spiritualis hîc in Cæna Domini est corpus & sanguis Domini realiter, in Agno paschali typice, præsentia.

27. *Verbum* hic intelligimus non duntaxat universale de misericordia Dei propter filium promissa: quod minimè quidem abest, sed particulare, *Lombar. 4. sent. dist. 3. l. B. 28.* Est duplex. *Primum* ἐπιτάγματος, *mandati*, quod ritum ordinat & actionem definit, ut in Baptismo, *Baptisate*: in cæna Domini, *edite, bibite & c.* Deinde ἐπαγγελίας *promissionis*, quod gratiâ singulis hominû individuis offert & sacramento in vera fide utentibus applicat, confirmat & obfirmat: ut in Baptismo, *Qui crediderit & baptisatus fuerit, salvus erit*: In cæna Domini, *Hoc est corpus meum. Quod pro vobis datur; Hic est Calix Novi Testamenti in meo sanguine: Qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.*

29. Quo sensu trita Augustini regula intelligenda est, *Accedat verbum ad elementum & fit sacramentum, & ipsum tanquam visibile verbum.* In Johan. tract. 80. de cap. 15. Tom. 9. pag. 445. Item tract. 13. p. 98.

30. Manifestum igitur est, quod quartæ hypotheseos loco posuimus: Verba institutionis pertinere ad essentiam Sacramenti.

31. *Sextam* quoq; nemo negabit, qui intelligit, quod Aristoteles (rumpantur utilia omnibus indoctis Aënis, & Philosophiæ osoribus) docet lib. de Interpr. cap. 2. inquit: ὄνομα ὅτι φωνὴ σηματική. Item cap. precedente primo, quod hæc se sequi debeant, πρᾶγματα, παθήματα τῆς ψυχῆς, φωναὶ καὶ γραφόμενα: Ut igitur παθήματα τῆς ψυχῆς sunt ἰσοιώματα τῶν πραγμάτων; Sic τὰ ἐν τῇ φωνῇ ὅτι τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα: καὶ τὰ γραφόμενα τῶν ἐν τῇ φωνῇ.

32. Ut enim res offertur, sic νόημα sive πάθημα efformatur: utque hoc formatum est, ita voce effertur & juxta vocem scribimus

perque scripturam, ut & vocem de sententia mentis fit iudicium.

33. Distinguit ergo Philosophus inter vocem, hoc est, inter syllabas & literas, sive ipsam articulationem, quæ est ejus materiale: & deinde inter id, quod in voce, hoc est, in illa articulatione est, nempe signum, sive significatio ejus, quod est in mente dicentis, & consequenter in re; quod est formale vocis.

34. Ut igitur corpus Physicum ex materia & forma componitur, sic quoque vox, ab intelligente prolata, duobus, nempe materiali & formali, constat.

35. Ut porro sublatâ & mutatâ formâ corporis Physici, tollitur & mutatur ipsum corpus: sic quoque, sublato formali vocis; tollitur ipsa vox sive verbum. Atq; hoc est, quod dicit hypothesis: Verbum sine formali suo, hoc est vera & genuina significatione non est verbum.

36. Item alterum, quod habet ultima hypothesis: Mutatam verbi significationem mutare & tollere ipsum verbum, ut non maneat id, quod erat.

Prosyllogismus.

37. His ergo suppositis & probatis, contra Calvinianas & Photinianas Ecclesias talem conficimus Prosyllogismum.

Quæ Ecclesiæ non habent significationem verbi Christi, Sacramentum Cene constituentis, illæ verbū Christi, cenā sacrā constituens, nō habent: Atqui Calvinianæ & Photinianæ Ecclesiæ significationem verbi Christi, sacramentum S. Cene constituentis, non habent:

Ergo Calvinianæ & Photinianæ Ecclesiæ verbum Christi, S. Cenam constituentis, non habent.

38. Major est certa per primam, quintam, sextam & septimam hypothesin. Verba enim Christi sunt verba institutionis & pertinent ad essentiam sacramenti. Verborum autem significatione verâ, quam illis institutor tribuit, sublatâ, totū verbum est subversum.

39. Minor quoq; est manifesta. Nam Calvinianæ & Photinianæ Ecclesiæ non sumunt verba ut sonant: Ita autem sumenda esse demonstravimus in prima disputatione.

Atidesis.

40. Ergo sic progredimur demonstrando.

Quæ Ecclesiæ non habent verbum Christi, S. Cenam constituentis; sacramentum Cene non habent.

Atqui Ecclesiæ Calvinianæ & Photinianæ non habent verbum Christi.

Ergo

Ergo Ecclesia Calviniana & Photiniana Sacramentum Cœnam non habent. Quod erat demonstrandum.

41. Major est certa per quintam hypothésin, quâ dicitur, quod verba institutionis sint de essentia sacramenti: sublata autem parte essentiali, tollitur totum. Minor est conclusio pro syllogismi.

CVSUS EIS.

42. Posset forsan obiici hypothésis prima: Quod sola essentia & autoritas Sacramenti hujus pendeat à Christo instituyente, & causa efficiente, quodque propterea interpretatio verborum, ab Ecclesia facta, illi nihil derogare queat.

43. Respondemus, quod hypothésis primâ potius contrarium arguat. Quia n. tota autoritas & essentia hujus sacramenti à Christo pendet; oportet ut ita sumatur, quemadmodum à Christo institutum est. Hoc quando non fit, illa dependentia tollitur & nova oritur, nempe quæ est ab Ecclesia, & sic ab hominibus. Quo negatur testamentum Christi, proindeque verum sacramentum.

44. Inquis, si interpretatio Ecclesiæ subvertat testamentum: Ergo etiam id præstabit opinio ministri infidelis. Ponamus casum. Est minister Cryptocalvinianus in Ecclesia Lutherana qui administrat sacramentum synaxin. Hic, quia Calvinianus est, negat apud se tacite verum sensum verborum. Ergo quoque negat sacramentum, adeoque non distribuit inter communicantes verum corpus & sanguinem Christi?

45. Verum quis non intelligit, totum hunc discursum manifestè pugnare contra hypothésin tertiam, ubi diximus, fidem ministri nihil posse mutare in sacramentis. Deinde contra hypothésin secundam: ubi statuimus, sacramentum non esse ministrorum, sed totius Ecclesiæ. Quare sive fidelis sit minister, sive infidelis, quemadmodum nihil derogat doctrinæ, sic quoque nihil sacramentis. Non enim sua, sed Ecclesiæ bona distribuit. Aliud vero est, quando tota Ecclesia errat & sacramenta mutat.

Altera demonstratio contra Pontificios:

46. Eodem modo contra Pontificios demonstramus.

Quæ Ecclesia non habet omnes partes sacramenti cœnæ; illa non habet verum sacramentum cœnæ.

Atqui Ecclesia pontificia non habet omnes partes sacramenti cœnæ.

Ergo Ecclesia pontificia non habet verum sacramentum cœnæ.

47. Majoris probatio pendet ex quarta hypothési. Quia enim Ecclesia non potest aliquid mutare, neque in partibus formalibus neque materia-

materialibus, sequitur, quæ illas mutat & sic sacramentum mutilat, non habere verum sacramentum. Hoc autem (quod in Minore dicitur) facit Pontificia Ecclesia. Primum enim sua interpretatione tollit omnes partes terrestres, panem & vinum: & deinde alteram partem cælestem, nempe sanguinem denegat Laicis.

Ἐπεὶ σις.

48. Inquis, in Ecclesia pontificia non esse falsum Sacramentum, cænæ, sed mutilum?

49 Mutilum omninò est, & quidè ita mutilum, ut potioribus partibus destituatur: & sic veritas simul tollatur. Primum enim pars essentialis sive formalis, verbum, si non plane tollatur, omninò tamen falsatur, quando copulam EST interpretantur per MUTARI, unde μετασίως somnium. Et deinde, ut diximus, utraq; pars terrestris & altera cælestis autoritate Pontificis Romani tollitur. Unde non amplius ἀπλῶς pendet à Christo, sed etiam à Pontifice, quod est contra primam & quartam hypothesin. Unde etiam ejus falsitas manifesta arguitur.

Πόρισμα.

50. Unde tandem ejusmodi colligimus πόρισμα. Orthodoxus Lutheranus non potest bona conscientia uti sacra cænâ in dictis Ecclesiis.

51. Rationem communiter adferunt hanc, *Vt nimirum vitetur scandalum: & ne videatur consentire in errorem istius Ecclesiæ.*

52. Rationem quidem illam suo loco probamus. Verior autem & potior hoc continetur syllogismo.


Quod quis non habet, alteri dare nequit.

At dictæ Ecclesiæ Sacramentum Cænæ non habent,

Ergo Sacramentum cænæ alteri dare nequeunt.

53. Major est certa. Minor toto hoc discursu est probata. Quocirca qui accedit ad sacram σῶμαξιν in illis Ecclesiis, non accipit divinum sacramentum, sed humanum figmentum. A quo ἀπλῶς fidelibus abstinentum.

F I N I S.



00 A 6341


ULB Halle 3
002 919 516




WAS

Reise







Exemplum demonstrationis Theologicæ
• secundum:

Quo probatur

Calvinianas, Pho- tinianas, & Pontificias Ecclesias

non habere verum cænæ Dominicæ sacra-
mentum, sed tantum depravatæ rationis
figmentum,

proindeq;

Orthodoxos in illis ad sacram *συνάξιν* accedere bonâ
conscientiâ non posse:

*In alma VVittebergensi Academia ad examinandum
propositum*

PRÆSIDE

JACOBO MARTINI PHILOSO- PHO ET THEOLOGO.

RESPONDENTE,

M. ISAACO FRÖREISEN ARGENTINENSI

Alsato, Facultatis Philosoph. Adjuncto,

Ad d. 2. Maii.

VVITTEBERGÆ,

Ex officina typographica NICOLAI BALLII.

ANNO CHRISTI, M. DC. XIIX.

missimo Spectabilissimo Viro D. Georgio Blain

